



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas**

**Antverpiæ, M.D.C XXX III.**

SS. Menodora, Metrodora, Nymphodora, VV. MM. 10. Septembris.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70962](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70962)

SS. MENODORA, METRO-  
DORA, NYMPHODORA,  
VV. MM. 10. *Septembris.*

Iterum Virgines Martyres aspicias, hoc  
est, rosas & candore & purpurâ suâ  
nobiles, pulcherrima virtutis mixturâ  
MENODORA est, METRO-  
DORA & NYMPHODORA  
sorores & è Bithyniâ oriundæ. Hæ quò  
securior sive ab apertâ vi, sive proditione  
pudor foret, collem omnes deser-  
tum infederunt, munimentum virtutis  
ingens & propugnaculum. Solæ tamē,  
etsi maximè volebant, minimè potue-  
runt esse: virtus enim, ut ferè sit hospi-  
tes ex omni loco excivit; & fuere cre-  
bra miracula ad convocandam multi-  
tudinem tubæ instar. Sed uti inter spe-  
ctatores alios admiratores castitas, ita  
alios hostes habet. Inter hos infestissi-  
mum Frontonem vidisses omnibus  
machinis oppugnare Virginitatis ca-  
strum. At huic animus etiam crevit in  
pugnâ, auditaque inter omnia tormen-  
ta una eademque omnium vox velut  
tessera pugnantium: *Agnosces Christe  
sponsas tuas coram Patre, quem coram ho-  
minibus neq; sanguine fateri erubescimus.*  
Interea MENODORA inter vir-  
gas moriendo vincit & salvum virgi-  
nitatis scutum patriæ celo ostentat. So-  
roribus ad demortuæ conspectû etiam



animus accedit. Quare post faces ar-  
dentes & equuleum METRODORA,  
post uncus ferreos NYMPHODORA  
vestibus casę geminarunt triumphum,  
in quo dum corpora in flammis proji-  
ciuntur, alia flamma celo delapsa ju-  
dicem omnemque tortorum manipu-  
lum momento in cineres vertit. At ex  
illis aliis flammis tergeminus celo  
Phoenix prodiit & vanitatis accusavit  
scilicet poetas, unicum tantum esse ju-  
rantes. *Ex Surio.*

## S. EUPHROSYNVS C.

11. Septembris.

**M**ala cape sis ex Elysiis hortis, quid  
horres? securus cape. Non illa  
sunt, à quibus primi parentis dentes  
obstupuerunt. Nec Eva mater, sed  
EUPHROSYNVS porrigit, ille  
quidem terrę filius & inter monachos  
ad enlinę nidorem damnatus, sed cu-  
jus labores celo impendio sapiebant.  
Ostendit hoc sacerdoti & ipsi integer-  
rimę vitę, quanti eos faciat, quos im-  
prudens nihili facit tellus. Sordebant  
huic jam diu humana, & nauseabat  
mortalia immortalis animus; illas  
gustare delicias auebat, quas alieno gu-  
stu miselli perdidimus. Neque negavit  
DEVS, sed votis tam piis satisfactu-  
rus, extasi abreptum in felicissimos  
hortos transtulit. Ibi dum ille gaudiis  
inun-